



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 8. An contrahatur aliqua spiritualis cognatio, cùm baptizato jam puero suppleantur tantùm cæremoniæ baptismi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



baptizati & matrem, cognationem spiritua-  
lem in Baptismo contrahi jure constat. Quae  
cognatio & contrahendum matrimonium im-  
pedit, & dirimit post contractum, & eadem  
quae de suscipiente dicta sunt, etiam de bap-  
tizante censenda. Nota, ait Divus Antoninus,  
quod Laicus qui baptizavit aliquem, siue in  
causa necessitatis, siue extra, non potest con-  
trahere cum illa quam baptizavit.

S. Ant. p. 3.  
tit. 1. cap. 15.  
§. 3.

D. Tho. in  
suppl. 3. p. 9.  
56. art. 1. in  
corp.

Hic autem observandum est cum sancto  
Thoma, quod quando asseruimus cum Con-  
cilio Tridentino per cognationem spiritua-  
lem impediri matrimonium, distinguendum est.  
Sicut carnalis cognatio, ait Divus Thomas,  
impedit matrimonium; ita spiritualis ex Ec-  
clesia statuto. Tamen distinguendum est de  
spirituali cognatione, quia aut praecessit ma-  
trimonium, aut sequitur: si praecessit, impe-  
dit contrahendum, & dirimit contractum: si  
sequitur, tunc non dirimit vinculum matri-  
monii. Sed quantum ad actum matrimonii,  
est distinguendum, quia aut spiritualis cogna-  
tio inducitur causa necessitatis, sicut cum Pa-  
ter baptizat Filium in articulo mortis, &  
tunc non impedit actum matrimonii ex neutra  
parte: aut inducitur extra casum necessitatis  
ex ignorantia; & tunc si ille ex cuius actu  
inducitur, diligentiam adhibuit, est eadem  
ratio sicut de primo: aut ex industria extra  
casum necessitatis; & tunc ille ex cuius actu  
inducitur, amittit jus petendi debitum; sed  
tamen debet reddere, si petatur, quia ex cul-  
pa ejus non debet aliquod incommodum alius  
reportare.

Quaest. 8. Contrahitur ne aliqua spiritualis  
cognatio, cum baptizato jam puero, supplen-  
tur tantum ceremoniae Baptismi?

Resp. Minimè: Sicut cognatio carnalis, ait



*De Sacram. Baptismi. Cap. VIII. 107*

Divus Thomas, non contrahitur nisi per actum generationis completum; unde etiam affinitas non contrahitur, nisi facta commixtione seminum, ex qua potest sequi generatio carnalis: Spirituales autem generatio non perficitur nisi per aliquod Sacramentum: unde non videtur conveniens, quod spiritualis cognatio contrahatur nisi per aliquod Sacramentum.

Cum igitur non conferatur Sacramentum cum suppleatur tantum ceremonie Baptismi, consequens est, quod nulla tunc contrahitur cognatio. Et valde convenit ut Parochi id dicant susceptoribus, cum dictae ceremonie tantum suppleatur, ne in hoc decipiantur.

D. Tho. in  
suppl. 3. p. 93.  
56. art. 2.  
in corp.

